
OBSERVATA
QVAEDAM
MEDICA
CUM FIGURIS AENEIS

A

M. I. MARX

MED. DOCT.



BEROLINI,

apud CHRIST. FRID. HIMBURG.

1772.

SERENISSIMO
CELSISSIMO PRINCIPI
AC
DOMINO DOMINO
LEOPOLDO FRIDERICO
FRANCISCO
PRINCIPI ANHALTINO
REGENTI
DVCI SAXONIAE, ANGRIAE ET
WESTPHALIAE, COMITI ASCANIAE,
ET BERENBVRGI
RELIQVA
PRINCIPI
IVSTO, PRVDENTI BENIGNO
MVSARVM PATRONO

DOMINO MEO LONGE
CLEMENTISSIMO

SERENISSIME

AC

CELSISSIME PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME,

Octavus jam agitur annus*, SERENISSIME PRINCEPS, ex quo insigni TVA clementia *hic loci medicam exercendi artem liberrimam dedisti potestatem.*

Ex illo tempore de nulla re magis ſollicitus, quam ut quocunque modo gratiſſimam meam mentem teſtatio-rem redderem. Cum id melius fieri non poſſe crederem, quam ſi aegro-tantes ſine diſcrimine proximos, qua-licunque conſilio, ope et auxilio pro viribus meis diu noctuque ſubleuarem vtilemque illis praeſtarem operam, eosque itaque non ſolum quoties ju-

bebant diligenter viſitando, ſed et domi eorum morbos horumque cauſas attentius conſiderando, ſubinde notatu digniora congerendo, ut ea etiam poſſem aliquando cum orbe litterato fideliter communicare.

Natum ex praecipuis notatis praeſentem libellum ſuaſu ampliſſimorum nonnullorum in arte profeſſorum orbi litterato exhibitum, cum com-

missi quasi muneris rationem reddat, ut TIBI, SERENISSIME PRINCEPS, *demississime offeram, humillimo meo convenire arbitrabar officio, ut simul publicum deuotissimae meae erga* Celsitudinem TVAM *obseruantiae momentum erigerem.*

Suscipias igitur, precor submisse, PRINCEPS CLEMENTISSIME, *foetum hunc qualemcunque*

meum ea, qua erga bonos conſtanter geris, hoc eſt, ſerena fronte, et in poſterum etiam me celebratiſſimae tuae benignitatis ac gratiae alis clementer protegas.

Deus ſummus medicus Celſitudinem TVAM *ad ſeros vsque aetatis annos ſoſpitem ac incolumem conſeruet, inſuperque regiminis perpetim felicis gloria ſumma, ac omni-*

genae tandem prosperitatis gaudio beet cumulatissime.

Ita ex intimo vouet animo

SERENISSIME

CELSISSIMEQVE PRINCEPS

DOMINE CLEMENTISSIME

CELSITVDINIS TVAE

Seruus humillimus

M. I. Marx.



LECTORI BENEVOLO SALVTEM!

Negat Galenus in Comment. ad Aphorismum primum Hippocratis artem medicam suo tempore ad summam perfectionem perduci propterea posse, quia hoc nonnisi diligenti assiduaque rerum observantia contingere queat, et primos inventores omnia statim et incipere, et ad finem perducere posse, quae maiores tradiderint et fundarint, ea magis stabilire nouisque inventis perficere.


Nihil itaque iucundius, nil antiquius est medico prudenti, quam non modo noua remedia invenire, verum etiam remedium morbi certum et celeriter efficax licet iam inventum non tamen experimentis satis probatum cognoscere



ſcere et experiri, cumque orbe dein litterato, prout ipſe cognouerit, utque experientia doctus fuerit, communicare.

Cumque prae aliis reipublicae medicae utiles exiſtant illi, qui ea, quae circa morbos et aegros notatu digna occurrunt, conſcribant; medicam quam vocant praxin aggreſſus, ideo ea, quae notatu digniora videbantur, notaui, quaeque antea nonnullis ampliſſimorum in arte ſalutari virorum reſcripſi, illi ipſi, quos ſumma proſequor reuerentia, ut ea cum orbe litterato communicarem, ſollicitauerunt. Eorum itaque deeſſe votis praeceptisque ego quidem nolui.

Offero igitur Tibi Benevole Lector, *ex iis, quae in praxi mea colligere mihi contigit, obſeruatis pauca quaedam, cum plura iam addere, tempus deeſt; fruere hiſce mecum et dextre iudicando ad plura me excitabis. Vale, conatibusque noſtris qualibuscunque interim faue!*




Lum-



Lumbricus latus feliciter expulſus.

Lumbricum latum corpore humano prorſus expellere, difficillimum habetur, quod adhuc nuper perilluſtris Nil Roſen de Roſenſtein ſtatuit, cauſam ponens in illius longitudine, et in flexibus multis inteſtinorum, et in facultate, qua viuus gaudet, cacumine extremitatis anguſtae et canalibus ſugentibus, qua ſinguli eius articuli inſtructi reperiuntur, ad inteſtina ſe applicandi. „Haec, ait Vir celeberrimus, eſt cauſa, cur „aegrotus, ſi expulſio Lumbrici iſtius ten„tetur, tantos dolores patiatur, ſi vero „noſſemus remedium, quod eundem ita „necaret, ut nec ventriculus, nec inteſtina „duri-

„duriter tractarentur, tota res foret facilli-„ma, nam necatus neque cacumine isto, „neque canalibus sugentibus se applicare „potest, sed solutus jacet, ac cum excre-„mentis abire cogitur: At tale remedium „nondum scimus. Vehementer autem miror, perillustrem ac Doctrina singulari insignem Archiatrum unum remedium Lumbrici lati, quod tanquam specificum diu notum est, ne memorare quidem. Num de illo nihil legit in eruditis actis Edimburgensibus ac Parisiensibus? hoc ego vero non crederem. An forsan isti remedio fidem non habet, an potius super eo nil experimenti instituit?

Vt igitur egregium hoc remedium dignitate sua fruatur, ejusdemque viuae efficaciae perquam utilis ac praesens obseruatione confirmetur, meum esse puto, quid super hac obseruauerim, & quo remedio adversus illum Lumbricum vsus fuerim, hic declarare; (res ipsa quidem in Nouis Magdeburgicis sed sine significatione remedii ab aegroto manifestata est) praesertim cum hic lumbricus communibus et vulgo adver-

adverſus vermes vſitatis remediis adeo non poſſit ejici, ut potius multos morbos moleſtiasque excitet; Accedit, quod multorum intereſſe arbitror, efficacia et uſu comprobata remedia noſſe, quorum ope poſſint illo liberari.

Cum ego Anno 1765 extremo a nonnullis aegrotis Serueſtam vocatus eſſem, venit ad me vir plus quadraginta annos natus, qui conquerebatur, ſe tenſionem abdominis cum torminibus & dolore vago conjunctum aſcenſum & deſcenſum quendam circa umbilicum, & in latere pondus quendam ſentire, quae ſymptomata jejuno tempore acriora erant; his accedere nauſeam, et magnum ſaliuae affluuium in ore, noctu ſomnum eſſe, atque recenti quandoque tanta edendi cupiditate flagrare, ut non poſſet ſatiari, quandoque ea prorſus carere, corpus et vires ſingulis diebus decreſcere, et colorem faciei mutari ſingulis momentis temporis. Ego dicta iſta ſymptomata enarranti, reſpondi, ipſum vermibus laborare, qui iſtorum ſymptomatum cauſa eſſent. Tum aeger narrando pergit, aliquando

ſumto

ſumto laxatiuo cum excrementis exiiſſe vermem, quem, cum ille mihi eius formam indicaſſet, pro Lumbrico lato habui. Nec me mea feſellerat opinio. Multis remediis ſine fructu ac utilitate adhibitis, tandem alii, quos ille aeger conſuluerat, ſuaſerunt, ut Gummi-guttae ſumeret, ſed noluit hoc uti, nec ego quidem, ut ſumeret, poteram illi autor eſſe; nam etſi remedium iſtud inter maxima draſtica eſſe numerandum, ſciebam, dubitabam tamen, an prae caeteris draſticis multum contra lumbricum valeret. Potius ſuaſi ei, ut lene, certum mihique experientia notum ſpecificum adverſus hunc aliosque vermes adhiberet remedium. Praeſcripſi itaque, ut mane et veſpere drachmas duas Limaturae ſtanni raſae cum melle in formam bolorum redactae et ſingulis hebdomadibus pulverem ex aethiope minerali cum rheo ſumeret. Quid accidit? Sumpſit ille per errorem primo die dimidiam unciam loco doſis praeſcriptae ac poſtridie partem Lumbrici circiter quinque vel ſex cubitos longam mihi attulit Ac cum per duas tresve hebdomades remediis iuſſis

iuſſis vteretur, ſecundum praeſcriptam methodum ſingulis diebus partes Lumbrici abierunt, ita, vt aegroto vſus remediorum nihil moleſtiae omnino afferret, impetus morbi potius quotidie minueretur, et tandem cum ultima pars, quam mihi attulit, exiiſſet, plane deſinerent. Nec licet plures adhuc doſes ſumeret, quidquam deceſſit amplius. Ille vero etiam deinceps nutriri coepit, et elapſis aliquot menſibus vires et ſanitatem plenam recepit, qua ad hunc usque diem ita fruitur, vt nihil ſentiat incommodi, immo egregie corpus ejus accreuit; neque mirum, cum ſucci nutrientis, quo nunc ſolus fruitur ipſe, magnam partem voraciſſimo ſuo hoſpiti aſſidue ſuppeditare debuerit.

Lumbrici deſcriptionem additis etiam iconibus tradiderunt iam plures auctores, imprimis at D. Andry; neque igitur in eo deſcribendo, vt longus ſim, opus eſt. Capite ſolo a deſcriptione D. Andry aliorumque differt lumbricus a noſtro aegro expulſus, vtpote quod duobus cacuminibus terminabatur, vt icon ſubjuncta docet, quam ideo



addidi, quoniam alibi non inuenio ejusmodi terminationem vermis. Caput hoc mirabile, eoque magis notandum eſt, quoniam, quamdiu extremitas haec reſtat, tamdiu vermis quotidie increſcere poteſt, nec antea, quam haec abiit, poſſumus certi eſſe, totum lumbricum exiiſſe.

Caeterum erat ex deſcriptione D. Andry aliorumque totus albus, laeuis, conſtabatque articulis; ſingulis in articulis reperiebantur vnum, duo vel plures tuberatae ſeu papillae, latitudo primarum partium expulſarum aequabat digitum minimum, latitudo et diſtantia vnius articuli ab altero paulatim decreſcebant, quo propior erat extremitati, ita vt vera articulorum proportio obſeruaretur; vltima pars in duo cacumina deſinens erat anguſtior et tenuior et articuli ſibi propiores. Omnes lumbrici partes centum cubitos explere aegrotus confirmauit in Nouis Magdeburgicis, vbi ſimul fatetur, vermem ſine vllius doloris ſenſu intra trium hebdomadum ſpatium expulſum eſſe, ſe lumbrico ejecto, vires priſtinas et coloris vigorem

recu-

recuperasse, ac duobus mensibus elapsis ad optimam redactum fuisse sanitatem.

Nonne igitur est, quod admodum gaudeamus, cum contra hunc monstrosum vermem, qui tanta difficultate ejicitur, in stanno remedium habeamus, quod eum ita aufert, vt et ventriculo et intestinis non aegre faciat.

At vnde huic remedio haec efficacia existit? nonnullas causas a quibusdam perperam traditas in dissertatione mea inaugurali de Spasmis eisque medendi ratione jam refutaui, quae refutatio per casum nunc memoratum stabilitur; quo imprimis pertinet hoc, quod Stannum non ob materiam arsenicalem secum conjunctam vermibus aegre facere ac aduersum esse possit: nam et hic aegrotus (de quo loquor) et multi alii, quibus Stannum etiam contra alios vermes felici successu dedi, (quorum casus describere non attinet) possunt ostendere, Stannum etiam magna copia sumtum, et tempore vsus et postea nunquam, etsi vsum diu continuarint, effectum prauum pro-



duxiſſe. Quid? quod etiam in infantibus praeclaram ejusdem virtutem contra vermes ſum expertus, quod et exemplum puellae decennis in Diſſertatione mea deſcriptum docet, et nuperrime in Patria mea de foemina plus ſexaginta annorum eodem remedio expulſi Lumbricum immenſae magnitudinis (quem equidem aliquando poſſedi, ſed poſtea iuſſu Electoris Eminentiſſimi Colonienſis ſanctiori, quod aiunt, repoſitorio arcanorum naturae aſſeruandum curaui:) tempore octo dierum ſine vllo incommodo, nuncque poſtquam tot ac tantas moleſtias a verme perpeſſa eſt, proſpera fruitur ſanitate. Hac in foemina obſeruaui vermiculos figura cucurbitina magna copia excretos, qui cum ſint reſciſſae partes Lumbrici, illi, dum apparent, pro horum pathognomonico ſigno habendi ſunt.

Quali autem ratione vim ſuam exerceat, incertum adhuc eſt: id quod ego malui ingenue fateri, quam hypotheſes proferre; ſufficit experientiam docere, Stannum eſſe praeclarum et certum Specificum contra vermes. Aliis relinquo diſputandum,

an,

an, dum inteſtina laeuigat, vermes ab iis ſeparet, et taeniae imprimis facultatem, quam viuus habet inteſtinis adhaerendi, eripiat. Mihi quidem difficile eſt credere, illud tam parua doſi aſſumptum hoc efficere poſſe; potius non poſſum non mihi perſuadere, illud ipſum ſua natura vermibus eſſe aduerſum ac valde moleſtum. At vtrumque poſtulare argumenta videtur. En illa! Clariſſimus D. Wichmann, celebris apud Hannoveranos medicus, qui egregiam hanc Stanni virtutem aduerſus Lumbricos in Anglia, vbi maxime in vſu eſt, mecum expertus eſt, ad me ante aliquot annos litteras dedit humaniſſimas, ſe Hannoverae taeniam a virgine, variis ante remediis ſine fructu vſa, Stanno expuliſſe, ita vt poſt primam doſin pars ſeptem cubitorum exierit, et ſic deinceps reliquis diebus. Addit vero Cl. Wichmannus, ſe cum ſtanno Jalapae radicem commiſcuiſſe; eſt itaque eo magis notandum, me in caſu modo dicto ſolius Stanni ope taeniam expuliſſe.

Vnum adhuc notabo, verum Stannum Anglicum dari debere; Stannum enim no-




ſtrum commune poſſet vel plumbum vel aliud quid noxii continere, quo corpori noceri queat, quae culpa in Stannum conferri non poteſt.

Caeterum ego Stannum limatum adhibui; aegre quidem in puluerem redigi poteſt, attamen ſi quis maſſam ejus patienter radit, tam ſubtiliter radi poteſt, vt in puluiſculum tenuiſſimum verti queat: alioquin poteſt granulari vel calcinari atque ſic facile in puluerem redigi.



Tuſſis



Tuſſis inueterata radice rubiae tinctorum curata.

Homo quidam annorum LXVII et temperamenti phlegmatico-ſanguinei menſe Junii 1765 cum me arceſſiſſet, narrat, ſe tuſſi acerrima coniuncta cum magna raucedine et cum tenacis et viſcidi muci rejectione interdiu pariter et noctu vehementer vexari; ſimul laborabat oppreſſione pectoris, et moleſtia in aſcenſu ſcalarum: ſentiebat quoque aſcenſum muci tenacis in laeua pectoris parte, quem aſſidua tuſſi dolorem ferente et exſcreatione ſurſum trahere ſtudebat. Deinde quiete fruebatur per breue temporis ſpatium, malum vero ſtatim redibat et ſic durabat, vti ſemper ita maxime noctu. Quando aliquot horas ſomnum ceperat, et per tuſſim e ſomno ſuſcitatus erat, deerat ei, vt ejus verbis vtar, aer, i. e. reſpiratio quaſi interrumpebatur et ſuſpendebatur, et cogebatur tamdiu tuſſire, donec aliquid ſolueretur ac expectoraretur muci:



nec poterat ſine moleſtia ſiniſtro lateri incumbere.

Haec tuſſis iam, cum eſſet triginta et vnius anni, incepit, idque vti ex eius narratione intelligere potui, ex refrigeratione quadam (tuſſis enim, qua anno aetatis ſexto et viceſimo laborauerat, poſt ſanguinis miſſionem ſenſim ſedabatur); hoc affectus eſt malo non ſine ſumma moleſtia, praeſertim tempore hyberno, quo tuſſis maxime exacerbabatur. Variis in locis vel per quae iter faciebat, vel in quibus morabatur, remedium petiuit a multis.

Alius cauſam poſuit in capite, catarrhum capitis, vt ajunt, eſſe credens, quia aegrotus Cephalalgia laborabat ſimul, quae tamen a vehementi oriri poterat tuſſi: alius cauſam in ventriculo quaerens, nominabat tuſſim ſtomachalem: Alii alias proferebant cauſas. Vtitur ergo infuſis herbarum pectoralium et ejusmodi juribus, innumeris ſyrupis pectoralibus, quibus fiebat, vt mucus eo firmius pectori adhaereret, ejusque affluxus augeretur, tuſſisque ſic in conſuetudinem abiret. Quia tamen legitimum

diae-


diaetae ordinem obſeruabat, non adeo male ſeſe habere videbatur, praeterquam quando tuſſis ſingulis quatuor vel ſex hebdomadum ſpatiis haerebat, ita vt nihil muci ſolueretur ac expectorari poſſet; tunc enim maxime augebatur, donec diu tuſſiendo & exſcreando aliquid muci rejiceret. Tuſſis ſingulis augebatur annis, ita vt anno 1746 magnam excitaret herniam, qua adhuc laborabat, cum ipſi accerſitus eram. Aegrotus vt ſibi conſuleret, infuſis herbarum vtebatur ſeque domi tenebat, ambulatio enim et imprimis frigus pectoris oppreſſionem creabant. Menſe Aprili 1765 inuaſit eum ex terrore febris intermittens eaque vehementiſſima, quae octo ad decem durabat dies, deinceps remittebat. Poſt duas vero hebdomades redibat conjuncta cum tuſſi longe acerrima. Febri remittente tuſſis quidem leniebatur, accedebat autem tanta raucedo, vt vix vlla illius vox audiri poſſet. Ego menſe Junii ejusdem anni cum eum inuiſerem, omnibus circumſtantiis ponderatis ratus ſum, ejus pulmonibus a prima aetate tenacis copiam muci adhae-

 ſiſſe.

ſiſſe. Huc primo temperamentum ipſius phlegmaticum diſpoſuiſſe, dein refrigerationem cauſam occaſionalem factam; porro vſu remediorum dulcium pectoralium affluxum verſus pectus auctum et pulmones inde magis debilitatos fuiſſe. Non igitur plenariam aegroto promittere ſanitatem, partim propter ejus ſenectutem, partim quia morbus tam altas egerit radices, neque omni tamen eum priuandum auxilio putabam, nec ſpecioſa ſeu palliatiua vti curatione volebam, nec ea remedia adhibere, quae tantummodo expectorationem promouerent, ſymptomataque alleuarent, qua tamen re mucus conſueſceret magis pulmonibus adhaerere, cum eidem nobilioribus, quam habitationi muci ſint creati. Sed indicationes meas formabam, quae ſequentes eſſe credidi. In principio eam muci partem, quae vere pulmones obſideret, per tuſſin et expectorationem, deinde vero etiam mucum, qui ſanguini inhaereret, reſolutum per vrinam (melius enim eſſe eundem per vrinam, quam per ſedes ejicere, mihi videba-

debatur, quia per has aegrotus nimis debilitari potuisset) e corpore expellendum esse; tum pulmones laxos ac debilitatos sensim confortandos, mucique affluxum impediendum. Venit mihi igitur in mentem radix rubiae tinctorum. Haec radix, cujus virtutem me jam experientia docuerat, omnibus à me factis indicationibus, mihi facere satis videbatur. Nota mihi est illa tanquam resoluens, abstergens, diureticum ac simul confortans, praesertim noram illam simul tanquam expectorans agere; nam, vt non ignoro, in peripneumonia notha egregie prodest, et ego nobili cuidam Ictero a viscositate orto laboranti (qui duos ad tres menses multis a variis medicis frustra praescriptis ac adhibitis remediis vsus fuerat) illius decoctum per quatuor hebdomades bibendum dedi, quo facto, is non modo Ictero sed & saeuissimis colicae et ventriculi doloribus, quibus diu ante icterum correptus fuerat, breui tempore plane liberatus est. Nolo equidem huic radici soli omnem tribuere effectum; nam antea aegrotum suasi rhabarbari infusum aquoso-vinosum



ſum ſumere, at hoc ſumto ſymptomata etſi leniora fiebant, non tamen plane ceſſabant antea, quam decoctum rubiae tinctorum magna copia bibiſſet, ita vt Nobilis ille, decocti praeclaram ſentiens virtutem, me rogaret, vt decoctum hoc per aliquot hebdomades ipſi bibere liceret, bibit, ſub eo tempore ſanior, quam antea fuerat, euaſit, nec vnquam ſenſit amplius colicae et ventriculi dolores, adeo vt ad hunc vsque diem pro felici iſta curatione mihi ſuum amorem gratiſſimumque animum ſignificet.

Radice hac in aliis quoque ejusmodi caſibus optimo ſucceſſu vſus ſum.

Aegrotum itaque iuſſi, decoctum (uncia una ſcilicet radicis in menſuris tribus quatuorue cocta erat) quotidie bibere et quidem tantum, quantum tria vel quatuor vitra cereuiſiaria caperent. De floribus vero macis, quos et in aliis caſibus addere ſoleo, aliquid addidi, propter eorum virtutem et reſoluendi et ventriculum confortandi, vt nimirum ventriculus potionem decocti ferre poſſet. Dedi quoque in initio Succum 100 millepedum viuorum cum aqua

cina-

cinamomi et vino expreſſorum parua doſi, at quia eos viuos amplius habere non poteram, decoctum ſolum bibere juſſi.

Aegrotus hoc decocto per duas treſue hebdomades uſus, iam leuamen tuſſis ſentit, in dies etiam melius ſe habebat, raucedo cedere coepit, et intra ſex hebdomades vocem recepit, nec a tuſſi impeditur, quo minus tranquille dormiat, et euigilatus vel plane non vel perraro tuſſit, immo autumni et hyemis temporibus, quae tantopere timuerat, tuſſi plane non afficiebatur, vt ſi poſt ſomnum quatuor vel quinque horas durantem, experrectus tuſſiebat, tuſſis eſſet facilis, et reſolueretur ſine vllo dolore ac ſine ſolita antea faucium titillatione, poſſet et ſiniſtro lateri rurſus incumbere, poſtquam per ſex menſes decoctum biberat, ſenſit praeſertim (magis quam antea, nam vrina ſemper durante decocti vſu, copioſe fluxit:) vrinam maxima copia excerni, tandem exeunte vrina ſenſit dolorem quendam in pene ac ſi vrina impediretur, ſenſitque in ejus acumine, tanquam acubus pungeretur, ita, vt dum vrinam mittebat,

mem-

membrum hoc propter doloris vehementiam retraheret, vrinamque fere ſtillatim mittere cogeretur.

Ego propterea conſultus, aſſeueraui, non eſſe quod timeat, mucum reſolui et per vrinam exire, hincque oriri hanc ſtranguriam. Praeſcripſi ei Emulſionem, mucilaginoſa, demulcentia, perrexit ſimul decoctum illud bibere, quo facto vrina facilius et copioſius exibat, ſed erat turbida, ſeri lactis ad inſtar, ſaepius cum eadem exierunt maſſae muci albumini oui ſimiles.

Primis hebdomadibus aliquem dolorem exeunte muco percepit, qui deinde ſine dolore excernebatur. Tuſſis videbatur prorſus evaneſcere, interdiu omnino non, noctu vero experrectus (etiam tunc raro, praeterquam ſi ſub diei initium e lecto ſurgebat) parum tuſſiebat ac ſine doloris ſenſu, atque haec tuſſicula ceſſabat ſimul ac ipſe decocti potionem calide biberet; nam tuſſis tantummodo a ſiccitate oriri videbatur, ab eo tempore vrina crebrius et copioſius ſine doloris ſenſu tamen excernebatur. Per autumnum et hyemem ſibi antea tam


gra-

grauem et molestam, tam bene tantaque sanitate vixit, vt saepius mihi dixerit, se intra perplures annos non tanta corporis sanitate et vigore vsum fuisse.

Continuato decocti vsu rediit etiam appetitus qui per multos annos prostratus fuerat; hoc posset quidem floribus maceris tribui, at non nisi in principio eos decocto immiscuit. Postea decocto assuetus illos omisit, vt sumptibus parceret et decoctum viliori pretio haberet. Hinc apparet, appetitum absentiae muci, ventriculum antea onerantis et huius nervorum sensum hebetantis, adscribendum esse.

Quanquam cum jam 70 annos expleuerit, corpus tamen ejus quotidie creuit vigore, ita vt homines, qui eum norunt, mirarentur, quod tam praeclara sit facie. Ac vel raro vel prorsus non de morbo aliquo querebatur, nisi quod propter herniam permagnam, vbi refrigeratus est, vel in diaeta peccauit, aliquoties de colica conquestus est, qua tamen mox liberari solet. Praeseruationis gratia nonnunquam eum iussi vti rhei puluere, quo quidem ob aluum

quo-




quotidie ſolutam non opus ei erat, vt adeo decoctum illud, vt forſan a nonnullis credi poſſet, alui obſtructionem minime efficiat.

Caeterum doloribus rheumaticis vagis, quibus olim ſaepius corripiebatur, adeo longo ex tempore liber manſit. Ante annum febri acuta correptus, diem ſuum obiit.



Morbus



Morbus epilepticus foliis aurantiorum curatus.

Foemina quadraginta duorum annorum ante duodecim annos sexto post abortum, quem perpessa est, die conclaui exiit, vt res domesticas curaret, hic terrore graui affecta epilepsiae paroxysmo corripiebatur: quod malum ipsam deinde singulis mensibus tempore vel prodeuntis vel cessantis fluxus menstrui invasit. Sed grauida facta libera illo erat, peperitque tres infantes sanos. At cum primum menses iterum post partum prodirent (prodierunt autem et tempore lactationis,) rursus epilepsiae paroxysmum passa est. Solebat tunc nullo signo praecedente, illico in terram procidere, ipsoque, quo cadebat, momento, validum clamorem, cujus tamen non conscia erat, edere. A paroxysmo sese recolligens, nec quicquam eorum, quae sibi contigerant, omnino sciebat; neque ex vllo signo praeuio vlloue sensu in aliqua corporis parte

aduentum mali praeuidere ſibique cauere potuit. Allidendo itaque caput artusque ad corpora dura miſerrime ſibi ipſi nocuit, faciemque imprimis vulnerauit.

Probe innumera contra hunc morbum adhibita remedia omni effectu caruerunt, donec ego accerſitus, cum foeminam non modo epilepſia laborantem verum etiam lienteria atque febri lenta hinc orta totam viribus exhauſtam ſummeque emaciatam reperiſſem, praeſcripſerim ei praemiſſo laxante rhabarbarino, decoctum foliorum aurantiorum mane et veſperi ſumendum, vtque ſimul lienteriae ſatisfacerem, ſolutionem extracti corticis peruuiani, caſcarillae et radicum amararum. Ab eo tempore, quo his uti coepit, vltra annum, ne leuiſſimum quidem paroxyſmi epileptici ſignum ſenſit, atque à lienteria febrique lenta curata ſaniſſima vixit, imo tantas recuperauit vires, vt vera plethorica euaderet, eique ſingulis vel alternis menſibus venam ſecari opus eſſet.

Nunc tamen cum haec in publicum edere cogitabam, foeminam venae ſectionem negle-

neglexiſſe, potuique ſpirituoſorum ſeſe nimis dediſſe, ac denuo inſultus epilepticos quosdam paſſam eſſe audiui.

Foliis aurantiorum curationem epilepſiae eſſe adſcribendam, ego quidem credo, ſumpſit enim haec debita doſi foemina, ſed ea omnes medicamentorum formulas, concentratis, potionibus exceptis aduerſante, extracta in hac formula praeſcribere coactus fui, horumque ſolutionem nonniſi guttatim aliquoties de die, ſicque non juſta quantitate ſumſit. Lienteriae igitur febrisque lentae curationem attribui extracto corticis peruuiani caeterorumque poſſe autumo.

Quid de cauſa morbi dicam? dixi ſupra tempore fluxus menſtrui vtplurimum nouo morbi paroxyſmo correptam, ſed grauem vtero, eo liberam fuiſſe; ergone vterus ejusque ſtructura ſic diſpoſuit? Ego vero non credo. Nouimus enim quam parum requiratur, vt epilepſia oriatur ac habitualis reddatur; ſed omnium cauſarum nulla hunc crebrius producit morbum, quam animi pathemata, terror praeprimis; permulti ejusmodi caſus in hiſtoria medica habentur, ego

ipſe eorum numerum tribus ſingularibus epilepſiae à terrore ortae et habitualis redditae exemplis in Diſſertatione inaugurali de ſpaſmis deſcriptis adauxi. Cauſa ſemel epilepſiam producens, dein diathefin relinquit: omnia vero, quibus corpus vehementer mòvetur ac turbatur, paroxyſmum recrudeſcentem efficiunt. Nec minus notum experientiaque comprobatum exiſtit, dum menſes prodeunt, quantopere moueatur ac turbetur corpus foeminarum imprimis tenerarum, ſenſuque molli praeditarum. Apparet ſimul ex obſeruationibus multis, reuera quasdam corporis partes affectas miro quodam imperio in alias licet diſſitas efficaciter agere partes. Fateor quidem, nos modum, quo hoc fiat, non intelligere, ſicut et neſcimus, quo producatur modo epilepſia à terrore. Sufficit noſſe talia in corpore contingere. Vnde liquere puto, hujus morbi primariam ſeu proëgumenam cauſam atque originem terrori potius deberi. Poſt paroxyſmum epilepticum ſemel ortum manet in encephalo talis diatheſis, vt proxyſmus renouetur a tali cauſa accedente (qualem in noſtro caſu fluxum men-

menſtruum eſſe puto,) quae in aliis hanc diathesin non habentibus nihil tale producit.

Fluxum menſtruum igitur non pro cauſa disponente, ſed pro cauſa accedente ſeu procatarctica, diatheſin excitante, habendum eſſe arbitror.

Talis epilepſiae ſpecies ab animi pathemate oriens ſine praeuio ſigno omnium curatu difficillima habetur: curabatur tamen ea à terrore (peſſima ſane origine) orta in iſta foemina foliis aurantiorum, remedio, quod ars noſtra ſalutaris habet, ac quo illa iure gloriatur. Non multum enim praeterlapſum eſt temporis, ex quo in tractatulo quodam a Dno. Hans cel. medico Veſalienſi edito ſimilis a terrore ortae foliis aurantiorum curatae epilepſiae caſus deſcribitur. Inſurgunt quidem contra talia ſpecifica plures, vanum eſſe dicentes, ſi quis ei confidat: nec, cum tot tamque diuerſae hujus Herculei morbi dentur cauſae, putant fieri poſſe, vt ſpecificum quoddam contra eum inueniatur, vero pace illorum dixerim, quod ſenſibus percipitur clariſſime, id inficias ire nemo poteſt. Quis enim,

 quaeſo,


 

quaeſo, v. c. credidiſſet unquam, niſi experientia eſſet edoctus, Magnetem odontalgiam tollere, tollit vero eam profecto, et egomet ipſe idem ſaepius expertus loquor. At intima rerum natura cui prorſus cognita?

Verum enim vero opponet quis in foemina illa denuo rediiſſe paroxyſmum, neque itaque eſſe illud conſtans ſpecificum. Sed primum febris intermittens cortice peruuiano exterminata, redit demum poſt longam intercapedinem, ergo cortex peruuianus non eſt ſpecificum contra febres intermittentes? Deinde nouam cauſam nouus debet ſequi effectus; inter cauſas epilepſiam producentes jure plethora numeratur, atque crapula, omnes enim functiones a plethora laedi poſſunt, illae ipſae imprimis, quae ab encephalo pendent, turbari, quatenus nempe vaſa humores tenuiores ferentia a repletis plus ſolito vaſis ſanguineis anguſtantur atque comprimuntur. Augentur vero omnia haec mala, ſi v. c. potibus ſpirituoſis ſanguis rarefit, et vaſa magis diſtenduntur. In foemina illa


illa haec duo locum habere, iam ante innuimus, plethoram ſcilicet et vſum nimium ſpirituoſorum. Haec itaque cum non tantum inſtar cauſarum inſultus epilepticos excitantium agere, verum quoque in non diſpoſitis epilepſiam producere poſſe, experientia doceat, multo magis id efficere in diſpoſitis valent. In Bonneti ſepulchreto anatomico deſcribitur caſus juuenis plethorici, qui poſt lautius prandium humi cecidit epilepticus, nouisque inſultibus crebris intra ſedecim horas periit. Exinde ſic exiſtimo, ne foeminae iſti vſu ſpirituoſorum interdicatur, plethoraque juſta euacuatione minuatur, nullum ſane remediorum genus fore auxilio. Vti et Cl. Locher inter caſus ſuos ſimilis exempli mentionem facit, juuenis ab epilepſia foliis aurantiorum liberati, qui cum vino ſe inebriauerat, nouus expertus conuulſiones, eodem quidem remedio breui reſtitutus eſt, verum recte addit Vir Clariſſimus, fore, vt ille, ſi ſaepius ſe inebriauerit, haud dubie in priſtinum morbum incidat. Specifici vero inde non minuitur pretium, praeſertim cum

 plures



plures alii huius specifici tam salutiferum experti sunt effectum.

Singulare est in nostro casu, foeminam a primo, quo vsa est remedio, tempore ne leue quidem paroxysmi sensisse signum, cum tamen octo dies ante remedii vsum vehementissimo torqueretur insultu: item eam, licet, non nisi quinque aut sex circiter menses vsum remedii continuarit, tamen tempore intermissionis a morbo omnino liberam mansisse, ac nonnisi, cum vsui spirituosorum nimis indulserit, eo iterum correptam esse, idque non tempore fluxus menstrui, sed extra hoc, et quidem contra suetum terminum bis intra octo dies. Quae omnia magis adhuc nostram videntur confirmare sententiam.



Puella 12. annorum vehementer irata per tres integros dies vehementer vomuit, ab eoque tempore subinde vel minima cibi potusue sumta portione ad vomitum incitata est, imprimis post iram, quod tempus aliquod perdurauit, cum interuallis tamen, donec

donec menſes prodiiſſent, a quo tempore rarius per annos aliquot vomitum fecit. Menſe Maji 1766 annum decimum ſextum agens denuo poſt minimum ingeſtum euomere coepit, ac per duos menſes hoc miſerrimo in ſtatu vixit, (menſes licet more conſueto prodirent ipſa etiam morbi tempeſtate) regio vmbilicalis, ſcrobiculus cordis, et hypochondria vehementer intumuerunt. Qui tumor poſt applicationem emplaſtri ſtomachalis aliquatenus minui videbatur, licet vomitus adhuc duraret. Ineunte Julio vomitus ceſſauit, at ſingultus quam acerrime ſaeuire coepit vna cum vehementiſſimis muſculorum colli, ac pectoris conuulſionibus, ipſaeque manus conuulſae vix potuerunt immotae manere, cum dolore acerrimo dorſi, ſcrobiculi cordis et hypochrondriorum vehementiore dextri, mitiore ſiniſtri. Quo in ſtatu cum permanſiſſet totam hebdomadem, rejecit deinde redeunte vomitu cum ſingultu alternante bilem viridem et mucum, nec potuit hoc ſedari ipſo opiato dato, aluus ſemper obſtinate obſtructa ſaporque amarus illi erat.

Vena incisa est non modo sine leuamine vllo, verum symptomata increscebant potius, nec anthysterica ipsaque opiata post repetitam purgationem data aliquid leuaminis attulerunt. Nulla aderat febris.

Ego arcessitus cum dolorem ac tumorem hypochondiorum, dexti imprimis, obstructionem alui pertinacissimam, saporem amarum considerassem, vidissemque nullum ab anthystericis ipsisque opiatis leuamen afferri, deinde cogitassem principium mali, obstructionem hepatis bilemque corruptam esse causam credidi.


Clysteres injici iussi, qui nihil leuaminis dederunt, hinc purgans dari et cataplasmata ex herba cum floribus hyoscyami lacte cocta scrobiculo cordis totique abdomini applicari iussi. Quorum vsu continuato dolor in scrobiculo cordis et hypochondriis cessauit, sed singultus conuulsionesque adhuc durarunt.

Praescripsi praeterea post purgans repetitum pilulas ex sapone veneto et gummi ammoniaco, parca dosi scillae, speciebus diambrae additis ac pro potu ordinario

rio decoctum rubiae tinctorum pro lubitu bibere iuſſi. Quibus cum puella per tres quatuorue circiter hebdomades vſa fuiſſet, ſymptomata diſparuerunt omnia, ipſa optima fruebatur ſanitate vltra tres menſes, rediitque ad ſolitos labores domeſticos, menſibusque per totum illud tempus legitime fluentibus.

Cum die decimo octauo Nouembris multa ligni onera ab inferiore ad ſuperiorem domus partem portaſſet, die viceſimo primo ejusdem menſis de dolore acuto in dorſi parte ſuperiore intra ſcapulas querebatur, ac ſaepe ſingultu, conuulſionibus, manuum deinde acerrimo dolore vexabatur, quin de alio malo conquereretur, nec febris adfuit nec appetitus multo proſtratus erat. Dedi ei reſoluentia, lenientia, ſudorifera, dorſum partesque dolentes ſpirituoſis antiſpaſmodicis fricari iuſſi, extenſionem violentam autumans eſſe cauſam. At haec omnia nihil leuaminis dederunt.

Cumque aliquoties vomitu bilem viridem rejeciſſet, prioris ſupra deſcripti mali quod hucuſque ſiluerat, immemor, dedi pur-

purgantia aliquoties repetenda cum leuamine quodam, dein pilulas resoluentes ex Sapone veneto etc. atque decoctum rubiae tinctorum, vt supra indicaui, verum dolor in dorso, singultus et conuulsiones tam cito cedere noluerunt. Menses intra hoc temporis spatium prodierunt. Cum more foeminarum tempore fluxus menstrui nihil medicamenti sumeret puella, aliquid quidem leuaminis sentire videbatur, at quinto aut sexto die quo menses prodire coeperunt, sensit dolorem in hypochondrio dextro et in scrobiculo cordis. Cessante menstruo fluxu repetii supra descriptam methodum, quo facto ab omnibus omnino sensim liberata est symptomatibus, et ad hoc vsque tempus sanissima degit.

SCHOL. Symptomata omnia, varia licet ac diuersa, ab vna et communi producta esse causa, ab obstructione scilicet hepatis bileque acri, tanquam principio et origine mali, iure per supra indicata symptomata autumare me potuisse crediderim. Notum enim est et euidens, quantopere ejus-

ejusmodi infarctus in parte corporis tum nobili, cujusmodi est hepar (cujus officium primarium est, bilem a sanguinis consortio segregare inque intestini duodeni alueum effundere, quae functio et vitae et sanitati tam necessaria est:) functiones perturbare possit. Bilis deinde ipsa acris reddita tum hepatis tum ventriculi, diaphragmatis aliarumque partium vicinarum hepati annexarum affligit, irritat et convellit neruos. Hinc dolor, conuulsiones, vomitus, singultus caeteraque memorata symptomata oriuntur, quae hinc explicatu non difficilia erunt. Constat praeterea innumeris obseruationibus, acre stimulans vni applicatum parti facere, vt spasmo constringatur et dolore afficiatur non modo pars, vbi acre illud haeret, verum saepe quoque partes longe remotae, immo vniversum nonnunquam corpus, vti fusius hac super re disserui in Dissertatione mea de Spasmis.

Primo quidem intuitu mirum videri potest, infarctum suppositum non secutum esse icterum; at experientia docet, humores

mores et infarctus in hepate diu existere posse, ita vt icterus non sequatur (vti ipse in juuene viginti et aliquot annorum infarctum ejusmodi multo majorem, colore faciei plumbeo, tumore ac vera duritie abdominis, hypochondriique dextri, obstructione alui satis superque sese manifestantem, infuso rhei aquae vinoso, sero lactis cum herbarum recentium succis expressis, pilulis saponaceis resoluentibus, decocto radicis rubiae et curcumae longo tempore continuatis, (vno scilicet dictorum remediorum post alterum adhibito) equitatione dein ac diaeta leni ac parca a me praescriptis curatum obseruaui: hunc casum paucis descriptum data opera ex amore proximi addidi, ne in posterum ejusmodi infarctus incurabilis existimetur: imo calculosae concretiones in hepate frequenter repertae leguntur, ita vt non accesserit icterus. Praeterea naturaliter in hepate nec amaritudo adest vlla, nec color flauus adeoque cum icterus tali colore corporis superficiem deturpat, hoc non ab hepatis vasis obstructis, (vti in nostro casu locum habere videtur)

detur) ſed ab impedito exitu bilis cyſticae eiusque retropulſione in ſanguinem originem ducere videtur.

Hanc meam de morbi natura conjecturam confirmare videntur, vt dixi, dolor et tumor hypochondriorum, imprimis dextri, vomitiones billoſae, ſaporis amaritudo, alui obſtructio, confirmat deinde effectus adhibitorum remediorum ſaponaceorum reſoluentium atque attenuantium.



De



De Matrona Cardialgia et Vomitu cruento curata.

Matrona triginta ſex annorum ſenſibili admodum genere neruoſo praedita, caeterum ſana per plures annos poſt paſtum horas duas anxietates et inſignes moleſtias, doloremque grauiſſimum, compreſſiuum et conſtrictiuum in regione circa ventriculum ejusque ſuperiore orificio perſentiebat cum vomitu nonnunquam permoleſto; ad hanc ego anno 1766 accerſitus dicta ſymptomata cum ſenſibilitate hujus orificii et inde natam procliuitatem ad ſui contracturam ſpaſmum ibi ſolitum perponderans, cauſam, quae has anxietates doloresque parit, acriora ſtomacho, hoſtilia alimenta ſub digeſtione corrupta, viſcidam inde ortam materiam ac acidam orificio ſtomachi ſiniſtro impactam acore rodentem ac vellicantem, ſtomachumque quaſi perterebrantem eſſe autumaui. Mature igitur cauſam ſtomachum irritantem remouendam eſſe credidi, ac vomitoria hic excellere ſciui, at

hacc

haec refutauit omnino aegra, nec ob doloris vehementiam, haec dare aufus fum, purgantia inde dedi; quoniam vero et haec per fe ftomacho inimica et molefta, irritando eius orificium finiftrum doloremque itaque intendendo, facile poffent exafperare malum, propterea conuenientiffimum effe arbitratus fum, vt iisdem lene adderem opiatum, lene dico, ne opiato palma maneat et vis purgantis plane ab opiato impediatur; conueniens hoc ευπόϱιϛον eft ejusmodi in cafu, fi duobus fcopis fimul nempe dolori fiftendo et materiae remouendae fatisfaciendum eft. Dein acida corrigentia, abforbentia, tartarum vitriolatum cum rheo et fpeciebus diambrae, decoctum cornu cerui. Emplaftra Stomachicalia applicare volui, aft haec, vti faepe apud plures hyftericas obferuatur, ferre non potuit. Dictis adhibitis malum leniri, aft non omnino tolli potuit; placaui ergo dolorem natasque inde anguftias enematis ope aqua communi cum Laudani liquidi guttis quadraginta, hancque methodum fecuriorem ac certiorem faepiffime inueni quam ore fumptum, vt optime


 monet



monet praeclarissimus Whytt, in tractatu suo non sat laudando: de obseruationibus circa morbos neruorum, dedique praestantissimum ab eodem auctore commendatum et vt optimum in ejusmodi affectibus notum remedium, Moschum puto, aegraque mea integre sanata est a malo suo, quod altas iam egit radices, nec semel ab eodem tempore vel minime a malo vexata est.

Eadem haec Matrona post tres annos post spatiationem in rheda peractam, corporis motu forsan nimio, simul animi motu (cui nimis dedita est) agitata, domum rediens de anxietate praecordiorum et dolore compressiuo ac constrictiuo in latere sinistro in ea regione, quae costis nothis anteriora versus sternum se inflectentibus, conquerebatur; haec excipiebant Lipothymia peruehemens, nausea et vomitus cruoris concreti atro-rufescentis aliquot librarum. Ego hoc tempore accersitus venae sectionem commendaui, verum hanc ob nimium ortum languorem atque ob metum ne sub hac animi deliquio periret, renuit,

renuit; cum vero menſes aliquot diebus ante fluebant, ſubque ipſo vomitu animi deliquium inſequebatur, ac ſanguis inde cum leuamine ſiſtebatur, hanc intermiſimus, inque aliud tempus diſtulimus, lectoque quieta teneri juſſi, emulſionem ex ſeminibus quatuor frigidis majoribus, papauere albo cum aqua plantaginis, nitro, trochiſcis de Carabe, et abſorbentibus, enema commune cum nitro praeſcripſi, cumque enemate injecto multum ſanguinis grumati atri excretum eſt Extrinſecus regio ſtomachi fomentabatur aceto et ſpiritu vini; pedes inuoluebantur pannis aqua frigida imbutis, pulſibus applicabatur coagulum aluminoſum linteis exceptum. Bene ſeſe habebat Tertio die veſpere me inſcio e lecto ſurgebat rebus domeſticis operam nauatura, vomitu cruento recidiua effecta eſt, qui iterum animi deliquio inſecuto ſiſtebatur Tunc iterum ob debilitatem ſummam vena ſecari non potuit, et cum multum ſanguinis euacuatum eſt, non ſolum fruſtranea fuiſſet venae ſectio, ſed etiam magis facta euacuatione aegra nimis de-



bilitata esset. Sed potius ad alia remedia accessi. Emulsionem nitrosam supra indicatam, tincturam rosarum Pharmacopoeiae Londinensis ex mensura aquae spiritu Vitrioli guttis viginti et vncia semis florum rosarum saccharo edulcoratam pro lubitu sumendam, massae pilularis de Styrace cum nitro dosin tempore somni, rheum dein praescripsi, vt relictus sanguis cruentus e corpore pelleretur. Cumque rheum sine effectu assumtum est, enema injiciebatur, atque externe, quae supra indicaui continuabantur. Dein infusum corticis peruuiani praescripsi. Verum aliquot diebus post bene sese habens, iterum meque inscio atque inuito e lecto surgens aegra vomitum cruentum recidiuum perpessa est, qui vero dictis, mixturaque ex aqua Menthae cum confectione Japonica adhibitis, sedabatur, atque enema in dies injiciebatur, cum rheum nulli effectui erat, aluusque enemate omisso obstinaciter obstructa erat. Omnia bene sese habebant, praeterquam quod

quod admodum, vt facile conjecturari potest, debilitata esset aegra, ita vt ne membrum de loco mouere potuerit, deque vehementissimo capitis dolore semper, aliquando de praecordiorum anxietate conquerebatur, atque ne minimus cibos capiendi aderat appetitus. Serum lactis, aut aqua communis pani decocta, in quibus ferrum extinctum erat, pro potu communi adhibebatur, cibique facillimae digestionis vt decoctum panis triticei, jura carnium e pinguedine sollicite expurgata, gelatinae e cornu cerui, atque Capone et pedibus vitulinis et similibus, nunc de Cancris parabatur. Hisce vires refocillari videbantur, verum interea menstruata post animi affectum, animi deliquio iterum perpessa admodum debilitata est, cumque ante nulla aderat febris, nunc febricula accedebat, verum lacte caprino mane ac mixtura ex Cortice Peruuiano et cascarilla cardiacis juncta praescriptis, diaeta optima ex cibis electis nutritiuis refocillabatur, nouasque recolligens

vires ad hunc vsque diem ſaniſſima viuit, licet tantum ſanguinis per recidiuuos vomitus amiſerit, vt ſanguis e digito acu laeſo prodiens non rufeſcenti ſanguini verum ſucco cerasorum vix ſimilis eſſet.



Hae-

Haemorrhagia vteri enemate oleoſo curata.

Nihil eſt tam arduum humanae ſedulitati, ait Bagliuius, quam inueſtigatio cauſae primo-primae et proximae, quae ſingulos morbos in actum prouocat, et hominem immediate laedit. Hoc eſt, quod erroribus grauiſſimis anſam praebuit incredibilem. Sique in inueſtigandis morborum cauſis ſedulo non perpendamus, reſpiciamusque ad cauſam procatarcticam, de curatione morborum nunquam bene ſperandum. Non diu eſt, quod id de haemorrhagia vteri in foemina triginta aliquot annorum obſeruaui. Huic dudum inordinato menſes recurrebant fluxu, nec certam obſeruarunt periodum, nunc anticipando, interdum vage comparendo, tandem copioſa ſuperuenit vteri haemorrhagia. Aegra cum vltra tres ſeptimanas hanc pertuliſſet, imbecillis admodum et pallida fit. Varia tentat pro leuando malo, ſed quaelibet fruſtra. Ipſa ergo anxioſa, vrgens remedium, me accer-

 ſiuit



ſiuit. Omnia igitur debite ponderans, ſolitis haemorrhagiae cauſis hanc attribuere, nec in loco affecto vitium reperire potui. Perſcrutans diligentius, pruritum circa anum, et in ipſo inteſtino recto occurrentem, et ad frequentem alui depoſitionem vrgentem animaduertens, mox de aſcaridibus circa inteſtinum rectum exiſtentibus cogitaui, quae vtero vicinae hunc vellicant atque irritant, occaſione ſenſilis hujus irritationis ceu ſpinae circa vterum infixae copioſius ſanguinis ad vterum mouetur, vberiorque ſanguis effluxus. Enema igitur ex oleo lini optimo ad deſtruendas aſcarides remedio injici curaui, ejectae ſunt cum enemate incredibili copia aſcarides, enemate aliquoties repetito, haemorrhagia ceſſauit. Cauſa ſicque mali ſublata tollebatur effectus et ſymptomata, ſtimulo ſcilicet ab aſcaridibus orto ceſſante, velut ſpina euulſa, ceſſauit impetus et conſequenter nimius affluxus ſanguinis ad vterum.




Tumor



Tumor in Genu.

Saltuarius aëris injuriis tempeſtatibusque humidis totos ſaepe dies hyeme non minus ac aeſtate expoſitus, tumore in genu ſiniſtri articulo, ſucceſſiue incrementum capiente, afficitur cum ſenſu doloroſo, et duritie ac difficultate mouendi partem. Varia a variis per duos annos adhibuit remedia, ſed omnis in caſſum cecidit cura. Tandem ipſi conſuluerunt, tumorem aperire. Aſt bona fortuna me in conſilium trahit aeger. Inſignem hic obſeruo obſtructionem et contumacem vaſorum lymphaticorum glandularumque imprimis hujus loci infarctum, perque hanc factam obſtructionem et infarctum naturalis humorum curſus motusque per partium meatus et vaſa ſubtilia, maxima ex parte impediebantur, vnde pars tumida, dura, doloroſa et motui articuli naturali inepta. Pedibus ſcilicet totos dies frigido ac humido aëri expoſitis tranſpiratio impediebatur, porisque clauſis vitioſum tranſpirabile coërcebatur, vt nequiret exhalare, fixabatur in articulo, viſcidum et

glutinoſum reddebatur. Primam hoc dedit anſam dicto tumori, qui dein contumax et faſtidioſus deueniebat. Lympha hoc in loco accumulata dilatabat eneruabatque vaſa lymphatica, ita vt aqueus hic liquor impediretur moueri, immo non ſine ratione autumarem, humorem hunc fixatum non amplius eſſe liquorem aqueum omni modo inſipidum, innocentem, ſpiſſitudine ſolummodo peccantem ac viſcoſitate; verum certo crederem, quod ſit ſalſedine diues, pungens, inde tumor hic doloroſus ac pungens, licet et dolorem ab expanſione membranarum ac tendinum exoriri poſſe non negarem.

In malo hoc praeſenti in externa corporis parte collocato, medicaeque diligentiae externae expoſito remedia ſimiliter externa et localia locum habere, nullum eſt dubium. Reſoluentia igitur ſtagnationi humorum oppoſita, atque attenuantia, vtpote quos reſolutos in naturalem motum reuocant, adhibeantur oportet. Praeſcripſi itaque fomentationem ex herbis reſoluentibus aqua coctis, addito lixiuio ſaponacco, tepide

pide applicandam, linimentum dein ex vnguento albo camphorato et petroleo, quocum inungatur pars affecta statim a fotu applicato. His externis junxi interna, purgans primo aliquoties repetendum, decocta dein tam diuretica quam in specie diaphoretica. Quatuor septimanarum temporis spatium malum, licet duos iam annos vexarit aegrum, tollebatur. Praedictas herbas dein aqua ferraria coqui et partem affectam colatura fomentari jussi, vt pars confortaretur, neque recidiuaret malum. Nec rediit, partemque vt sanissimus mouere potest, imo ne vicissitudinem quidem aëris, vt alias fieri solet, sentit in parte.

Dictis obseruatis, quaeritur an consilium datum aperiendi tumorem, tuto adhibendum fuisset? Responsio, consideratis circumstantiis ac loco affecto, negatiua facilis est. Locus affectus est genu, vbi ligamenta, periostia, tendines, cryptae Haversianae facile offendi possunt, labem impressam longe facilius retinent, sanatur difficulter. Quum enim omnes hae partes membrana cellulosa intercurrente separatae,

atque

atque hinc lubrica mobilitate agiles inter ſe ſint, ita quoque ſi membrana haec ſemel ſuppurata fuerit, ſinuoſae hinc inde fiſtulae relinqui, noua ſicque mala recrudeſcere, tendinesque, ligamenta et ceterae membranae inter ſe concreſcere, atque mobilitas partis prorſus tolli poſſent.




Cata-

Cataracta.

De differentiis cataractae deque opinionibus veterum et modernorum, an in humore aqueo, num in lente cryſtallina vitium ſit, non loquar, id relinquo, qui ex profeſſo hac de re ſcripſerunt; de cataracta incompleta nondum concreta tantummodo verbulum dicam. Si ſcilicet aut in humore aqueo aut in lente cryſtallina, vt moderni putant, impedimentum ſe offerat, quod radiis tranſitum neget, ſicque viſionem plus minusue tollat, ſubſtantiam iſtam heterogeneam adhuc fluctuantem ante ſui concretionem, inque membranae conſiſtentiam coalitionem, diſcuti, reſolui medicamentis poſſe, ſequens probat exemplum:

Foeminae quinquaquinta quinque annorum ſubito et improuiſo totalis inducebatur caecitas ſiniſtro oculo, dexter obſcurabatur, ita vt dextro omnia obuerſantia per fumum et nebulam videri viderentur, ſiniſtro

ſtro contra ipſum lumen aut ſolis ſplendorem propius admotum vix videre potuerat. Color pupillae ſiniſtri omnino, dextri oculi minus glaucus oculum inſpicienti apparebat. Ipſi primo morbi die venam ſecari, altero catharticum ſumi, tertio die veſicatorium, quod bis repetebatur, applicari ſuaſi. Collyrium dein ex aqua chelidonii majoris cum ſpiritu ſalis ammoniaci, vitro antimonii et camphora. Fumusque ex herbis euphraſiae, rorismarini, majoranae, ſalviae, flor. chamom. fiſtulae tabacariae immiſſis ac accenſis ortus oculis inflabatur. Interne puluerem ex ſulphure aurato antimonii tertiae praecipitationis cum mercurio dulci mane, et veſpere doſin pilularum ex extracto centaur. min. cochlear. hellebor. nigr. fumar. gumi. juniper. ammoniaco aceto ſquillit. ſolutis mercurio dulci, et extracto panchymagogo Crollii, nec non infuſum ex radice foeniculi, valerianae, herba meliſſae, ſaluiae, betonicae, euphraſiae, floribus arnicae, ſemine foeniculi et cortice citri ſumpſit. His omni cum diligentia ad-

hibitis

hibitis aegrae intra quinque ſexue hebdomades viſus reſtitutus eſt, omniaque obſervantia ſpecilli ocularii ope commode videre potuerat.

F i n i s.



Impr. apud G. L. Winteri Viduam.

EXPLICATIO TABVLAE.

Fig. A. Lumbricus latus e corpore viri expulſus.

a. Caput cum duobus corniculis.

b. Articulus.

c. Tubercula ſeu papillae.

d. Latitudo primarum partium expulſarum.

Fig. B. Vera lumbrici e corpore foeminae expulſi forma.


a. Articuli.

b. Circumplicationes et inflexiones vermis.

Fig. C. c. c. Cucurbitae, ſeu partes lumbrici ſeparatim expulſae.

Fig. D. Cucurbita a vitreo perſpicillo aucta.




Fig. A.
a. b. c.
d.


b
b
b
Fig. C
c
c
c
b
b
b
b
a
Fig. D.
Fig: B.

